# Badische Landesbibliothek Karlsruhe

## Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe


# Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

## [Reichenau ?], [14. Jh.]

Liber Abdiam

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

idem homo tribus nominibus vocetur: sic terra eius dicitur: et edom et ydumea et seyr. hec regio non computatur inter extraneas gentes que possessa est a filio ysaac fratre iacob, nec data est filiis israel in possessionem. Sed prohibitum filiis israel promovere arma contra fratrem suum. Hic autem esau ex odio persecutus est fratrem suum iacob. ydumei semper inimici fuerunt israhelitis. Contra ydumeos ergo loquitur hic propheta. Item alius prologus.

Abdias quanto brevior, tanto profundior est. Servus dei interpretatur. Hic moyses famulus dei et apostolus servus christi. et ea vidit et audivit que sunt digna prophetali servitute. Est ergo hec visio abdie quam vidit gentibus ad quas legatum misit dicens: destructio est ydumee visio nationum est. Cum autem titulo ponatur visio non excogitari quid aliquid viderit sed tantum audierit. Explicit prologus. Incipit liber Abdie prophete.

Visio abdie. Hec dicit dominus deus ad edom: Auditum audivimus a domino et legatum ad gentes misit: Surgite et consurgamus adversus eum in prelium. Ecce parvulum te dedi in gentibus, contemptibilis tu es valde. Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petre, exaltantem solium tuum. Qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sydera posueris nidum tuum, inde detraham te dicit dominus. Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses? Nonne furati essent sufficientia sibi? Si vindemiatores introissent ad te, numquid saltem racemos reliquissent tibi? Quomodo scrutati sunt esau, investigaverunt abscondita eius? Usque ad terminum emiserunt te. Omnes viri federis tui illuserunt tibi, invaluerunt adversum te viri pacis tue. Qui comedunt tecum ponent insidias subter te. Non est prudentia in eo. Numquid non in die illa dicit dominus perdam sapientes de ydumea et prudentiam de monte esau? Et timebunt fortes tui a meridie ut intereat vir de monte esau. Propter interfectionem et propter iniquitatem in fratrem tuum iacob operiet te confusio et peribis in eternum. In die cum stares adversus eum, quando capiebant alieni exercitum eius, et extranei ingrediebantur portas eius, et super ierusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi unus ex eis. Et non despicies in die fratris tui in die peregrinationis eius, et non letaberis super filios iuda in die perditionis eorum. Et non magnificabis os tuum in die angustie, neque ingredieris portam populi mei in die ruine eorum, neque despicies et tu in malis eius in die vastitatis illius. Et non emitteris adversus exercitum eius in die vastitatis illius, neque stabis in exitibus ut interficias eos qui fugerint, et non concludes reliquos eius in die tribulationis. Quoniam iuxta est dies domini super omnes gentes. Sicut fecisti fiet tibi. Retributionem tuam convertet in caput tuum. Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes gentes iugiter, et bibent et absorbebunt, et erunt quasi non sint. Et in monte syon erit salvatio, et erit sanctus. Et possidebit domus iacob eos qui se

possideant. Et erit domus iacob ignis et domus ioseph flamma et domus esau stipula. Et succendentur in eis et deuorabunt eos et non erunt reliquie domus esau quia dominus locutus est. Et hereditabunt hii qui ad austrum sunt montem esau et qui in campestribus philistiim. Et possidebunt regionem effraym et regionem samarie et beniamin possidebit galaad. Et transmigratio exercitus huius filiorum israel omnia chananeorum usque ad sareptam. Et transmigratio ierusalem que in bosforo est possidebit ciuitates austri. Et ascendent saluatores in montem syon iudicare montem esau et erit domino regnum. Amen. Explicit Abdias. Incipit prologus in librum Jone prophete.

Sanctum ionam hebrei affirmant filium fuisse mulieris uidue sareptene quem helyas propheta mortuum suscitauit matre postea dicente ad eum. nunc cognoui quia uir dei es tu et uerbum dei in ore tuo uerum est. Ob hanc causam etiam ipsum puerum sic uocauit amathi. Amathi enim in nostra lingua ueritatem sonat. et ex eo quod helyas uerum locutus est ille qui suscitatus est filius esse dicitur ueritatis. Ideo de ciuitate columba nascitur quia ionas columba sonat. In deportatione autem israel ionas ad gentes mittitur quod niniue agere penitentiam illi in malitia perseuerarent temporibus quippe ieroboam regis israel qui deo derelicto cum populo suo in samaria ydolis sacrificauerat. ionam prophetam fuisse historia quarti libri regum indicat cum propheta illum nominante domino proceres ciuitatis niniue dei iudicium consecutos uideret ne falsa prophetare uideretur ad denuntiandum interitum eiusdem ciuitatis ire nolebat. Nam sicut deus abraham de impietate sodomorum locutus est clamor sodomorum et gomorreorum peruenit ad me. ita et de niniue dicitur eo quod ascendit clamor malitie eius ad deum. Et sicut sententia dei de sodomis facta minime reuocata est ita et ionas aduersus niniue prolatam reuocari nolebat diuine dispensationis ignarus qui salutem hominum ad se conuertentium magis uult quam interitum. Hoc autem illi acciderat quod et sancto helyseo qui filium sunamitis mulieris mortuum ignorabat. Ideo et a conspectu dei ionas fugere se putabat humanum aliquid passus dicente dauid. Quo ibo a spiritu tuo et quo a facie tua fugiam. Item

Jona columba Alius prologus

et dolens filius amathi qui de geth est sophyr ad gentium preconium mittitur contempnit contemptis preceptis fugit fugiens dormit per quem periclitatur nauis hunc sors latentem reperit. Cetus absorbens deuorauit orantem reuomuit. ciuitatem predicauit subuersione sed conuersatam in penitentia urbem et salutem gentium inuidet. Gaudet recuperatis umbraculo hedere et dolet subito arescente. Cuius sepulchrum in quadam urbicula iuxta geth in uiculo demonstratur. Qui est in secundo miliario sephoris tunc quando pergitur tybiadem. Incipit Jonas propheta.

Et factum est uerbum domini ad ionam filium amathi dicens. Surge

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg